

SENTENTIA DIFFINITIVA per Illustrissimum, & Reverendissimū Dominū D. Ferdinādum de Andrade & Castro Archiepiscopū Episcopum Giennensem; Pronontiata; super cultu immemorabili BEATO PETRO PASCHASIO de Valencia, Martyri, ex Ordine B. Mariæ de Mercede, Redēptionis captivorū, & Episcopo Giennensi, exhibito, ac casu excepto à Decretis fœlicis recordationis Vrbani Octavi, in sanctissima inquisitione super non cultu editis.

CHRISTI Nomine invocato. Pro Tribunali sedētes, & solum Deum præoculis habentes, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam de iuris peritorum consilio ferimus in his scriptis, in causa, & causis servi Dei, Beati PETRI PASCHASII DE VALENCIA, Martyris, ex Ordine Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis captivorū, Episcopi Giennensis: inter admodū R.P.M.Fr.Melchiorem de Torres, pro Bethica Provincia Electorem Generalem, atque Procuratorem in hac causa, à Reverendissimo Patre Magistro Fr. Ildefonso de Sotomayor, totius Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Magistro Generali, legitimè constitutum; & Petrum Verbel Præsbyterum, & Promotorem in hac causa, de, & super cultu immemorabili, & extra centum annos ipsi Beato exhibito, ac casu excepto à Decretis felicis recordationis Vrbani Octavi, in sanctissima inquisitione super non cultu editis.

Visis litteris deputationum sub die vigesima mensis Iunij, anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, à nobis factis, & relaxatis in personis Doctoris D. Didaci Domedel & Quesada, Magistri scholarum, & Portionarij Sanctæ nostræ Cathedralis Giennensis Ecclesiæ, iudicis delegati: & D. Ferdinandi de Nava in Sacra Theologia Doctoris, & eiusdem Sanctæ Ecclesiæ Canonici Penitentiarij: & D. Nicolai de Adarve in iure Canonico Licentiati, & eiusdem Giennensis Canonici Doctoralis, adiunctorum: ac Petri Verbel Promotoris, & alijs nostris, & eorundem deputatorum decretis. Visis depositionibus testium coram ipsis delegatis legitimè inductorum, iuratorum, & examinatorum: Visis scripturis, ac iuribus productis, & compulsatis: Visa constitutione Procuratoris: Viso toto processu: & visis videndis, atque examinatis examinandis.

Christi nomine repetito.

Dicimus, decernimus, declaramus, pronuntiamus, & diffinitivè sententiamus: Constare servo Dei, Beato PETRO PASCHASIO DE VALENCIA, Martyri, ex Ordine Beatæ MARIÆ de Mercede Redemptionis captivorum, Episcopo Giennensi, cultum exhibitum esse à centum annis, & supra, & ad præsens exhiberi: & hoc scientibus, ac tolerantibus Ordinarijs Giennensibus, & Granatensibus, & eandem causam istam versari in casu excepto á Decretis felicis recordationis Vrbani Octavi, super non cultu editis, & propterea in hac causa dictis Decretis nullo modo esse, vel fuisse contraventum. Et ita dicimus, decernimus, declaramus, pronuntiamus, & diffinitivè sententiamus, non solum præmisso, sed omni alio meliori modo, ita pronuntiavi ego. Ferd. Archiepisc. Episcop. Giennensis.

Lata, & lecta fuit præsens sententia, per Illustrissimum, & Reverendissimum Dominum D. Ferdinandum de Andrade & Castro, Archiepiscopum Episcopum Giennensem, pro Tribunali sedendo, in suo loco solitæ Audientiæ, & per me infra scriptū Notarium causæ promulgata, citato presente, ac intelligente Petro Verbel Præsbytero, Fiscali Promotore, die trigesimo primo mensis Martij, anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, præsentibus etiam ibidem multis, & nominatim D. Gabriele de Flores, & Antonio de Espinosa Præsbytero, testibus vocatis, & rogatis. Actum fuit, prædicta die trigesima prima mensis Martij, hora tertia post meridiem. Et ego Notarius huius causæ, publicus, & Appostolicus, fidem facio. Ludovicus à Delgado, Notarius publicus, & Appostolicus.

Concuerda con su original, de donde se sacò, de que yo el infra escrito Notario doy fee.